



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad Perfectionem per Exercitia Spiritualia

Vatier, Antoine

Dilingæ, 1689

Selecta Ex Libello Exercitiorum S. Ignatii Quorum Lectio cuilibet Diei sacri
secessûs assignata est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60263)

S E L E C T A
Ex Libello Exercitiorum
S. IGNATII

Quorum Lectio cuilibet Diei sacri secessus
 assignata est.

*Erunt fortè nonnulli, quibus ad manus qui-
 dem erit hæc nostra Methodus, non autem li-
 bellus Exercitiorum S. Ignatij: statui itaque
 illis quadam inde selecta porrigere, quibus ea
 omnia contenta sint, quorum lectio cuilibet sa-
 cra solitudinis diei præscripta est.*

De Autoritate Libelli Exercitiorum
S. Ignatij.

Quidam hujus temporis scriptor, Societati
 nostræ parùm addictus, tantùm indul-
 sit calamo suo, ut damnaret decimam quartam
 Regularum, quas S. Ignatius servari voluit, ut
 cum Orthodoxâ Ecclesiâ verè sentiamus. Vide,
 quæ nos superius paulò ante finem eorum, quæ
 ad septimam diem spectant, notavimus. Cen-
 soris hujus verba hæc ferè sunt: *Hic modus tam
 sordidè, tamque indignè loquendi, de gratiâ
 JESV Christi, proprius est Patribus JESVitis, qui
 certis quibusdam regulis prohibentur, ne sum-
 moperè predicandæ, inculcandæque gratia*

Aaa 3

JESV

JESV Christi se addicant; timent enim, ne deantur liberi arbitrii vires infringere, et bonorum operum merita extinguere. Hinc facilius aut nihil de gratia JESV Christi loquantur, quam ea afferant, qua ejus virtutem enervent, et vignum evertant. Potest de ipsis dici, quae Augustinus de Pelagio notavit, qui nullam Gratia Christi mentionem fecit, nisi nominatus, ita ut hoc solum timuisse videretur, ne excusari posset, nihil omnino de illa dixisse. Vosmetipsos decipitis mei Patres, nec enim cognoscitis virtutem Gratiae novi hominis; nec firmitatem liberi arbitrii veteris Adam. In margine haec verba adjecit: Inter Regulas quot servandas à Patribus Societatis JESV cum Orthodoxâ Ecclesiâ verè sentiant, 14. gula.

Hic homo passus est, se impetu suo abire. Qui ipso modestior est, facile sibi persuadere posset, non attinere ad hominem privatum, vix inter suos notum, tam apertam, tamque acerbam crisin mittere in opinionem totius cujus Ordinis à doctrina intra Ecclesiâ Dei parum aestimati: neque decuisse ipsum, ut oraculi de nobis pronuntiare: Vosmetipsos decipitis, mei Patres. Et certè, qui non proprio suo judicio pertinacissimè adhaeret, omniaque

Veritatis & modestiæ terminos penitus non præterit, non potest tantam de seipso opinionem concipere; ut nobis tantâ præfidentiâ occinat: *nec enim cognoscitis virtutem gratiæ novi hominis, nec infirmitatem liberi arbitrii veteris Adam.* Hoc enim solus Pontifex Maximus potest, aut Concilium, quando articulum Fidei statuit. Ecclesia nullam alterius potestatem agnoscit, qui propriâ auctoritate, sine nota temeritatis, præsumat arguere erroris, & ignorantiam illos, qui diversæ ab ipso sunt sententiæ. Denique tam acri censurâ perstringere doctrinam ab ipso S. Petri successore ritè approbatam, & tantopere laudatam, est aliquid, quod nullæ leges homini Christiano permittunt.

Neque arbitror, zelum hujus scriptoris suffragium sibi petiturum ex S. Augustino, quasi verò Magnus iste Sanctus, & admirabilis Doctor, exemplo ipsi prævissset, quo Sanctam sedem tanto contemptu pessumdaret, & umbram quareret temeritati, quâ Conclusionem S. Ignatii ex ipsiusmet S. Augustini mente, ac verbis deductam, traduxit. Incomparabilis hic Doctor, quem nullo non tempore quidam malè interpretati sunt, libro de Gratia Christi Capite 47. hæc habet: *Ista questio, ubi de arbitrio voluntatis, & DEI gratia disputatur, ita est ad*

*discernendum difficilis, ut quando defenditur
liberum arbitrium, negari DEI gratia videtur;
quando autem asseritur DEI gratia, liberum
arbitrium putetur auferri.*

Sorbona, quæ S. Ignatium, primosque
Socios Theologicis disciplinis imbut, & in
gore examinis probatos ad gradus publicos pro-
movit, non ita nescivit doctrinam S. Augustini
ut frustrâ nobis persuadere Calvinus voluit.
Iam hæc S. Ignatio mentem impressit, ut quæ-
stionem, quæ hodie etiam faminarum in
exponitur, difficillimam judicaret, id quod
etiam S. Augustinus pluribus in locis testatur
est: nempe periculo se exponit, ne Auditor
imbecillitati præjudicium faciat, quisquis
duobus, quæ justâ concordiam componi debent
unum, aut alterum nimis extollit. Magna
nino hac in re circumspeditione opus est, ne
plices ignorantium animi, in Calvinij, & Lutheri
ri Hæresin præcipitentur, dum gratia, & præ-
stinationi Divinæ nimum tribuitur: aut ad
lagij errores declinent, dum plus æquo liberum
arbitrio defertur.

Corrupti judicij esse convincitur, qui
quam sæpius Sanctum Augustinum docentem
audivit: hanc quæstionem non nisi à paucis
mis intelligi, nondum tamen fatetur, prudenter

illis opus esse, qui hanc materiam tractare de-
bent, ut verba sua diligentissimè priùs exami-
nent, ne ignorantibus viam aperiant, quâ in-
unum aut alterum ex his perniciosis erroribus
devolvantur. Atque hanc ob causam S. Augu-
stinus non sustinebit condemnari S. Ignatium,
qui nihil hac in re dixit, cujus non Magna
hunc Doctorem ducem habeat & Auctorem.

Ego pròinde satis mirari non possum illos,
qui toties S. Augustinum se evoluisse jactant, re-
prehendere tamen in S. Ignatio, quod ipse ex S.
Augustino desumpsit. Majori porrò admira-
tione me percellit hominis unius audacia, qui,
postquam se gratiæ Jesu Christi defensorem
proficitur, ita muneris hominis Christiani ob-
liviscitur, ut damnare non erubescat, quod sum-
mus Christi Vicarius approbavit.

Minus admirationis habet, quòd hic homo
seipsum deceperit, dum regulas à S. Ignatio pro
omnibus, qui cum Catholica Ecclesia verè sen-
tire volunt, scriptas, & ut tales à Vicario Jesu
Christi solenniter receptas, & roboratas, veluti
Societati tantùm nostræ proprias accepit. Ne-
que ab hoc ipso ad cò peregrinum videri debet:
quòd verbis S. Ignatij falsum aliquid, & ab ipsi-
us sensu alienum adscripserit, dum scripsit: *In-
ter Regulas aliquot servandas à Patribus So-
cietati-*

cietatis *JESU*; cùm tamen hæc verba: à *Pat-*
bus Societatis JESU nullibi reperiantur in
 Ignatio, & Regula ista omnibus Christi
 bus utriusque sexûs à Sanctissimo Domin
 stro Paulo III. proposita sint, qui illas non
 gis nobis proprias fecit, quàm S. Ignatius. Qu
 me maxime in stuporem rapit, hoc est: *h-*
 hominem eò prolapsum esse, ut vocare in
 suram, & voto suo damnare ausus sit, quod
 premum Ecclesiæ Jesu Christi Tribunal
 pit, approbavit, sua auctoritate firmavit, & in
 mis laudibus commendavit. Quod ipsum
 impulit, ut in hanc chartam, cetera pacific
 & solatio datam animæ, quæ sola cum solo
 suo agere cogitat, non nihil querelarum effu
 rim. Arbitror insuper officij mei esse, exhib
 lectori meo ipsa Sanctissimi Domini
 verba, ut ostendam, quàm solida sine auc
 ritatis, quæ in Exercitiis S. Ignatij continen
 quibus proinde devotæ animæ tutò inhaere
 & quietè frui poterunt. Hæc verba Pauli III.
 Brevi Apostolico, quo libellum S. Ignatij
 probavit, simul & commendavit. Intuitu
 Finem sciens omisi; contentus ea afferre, qu
 rem præsentem conficiunt: *Dilectus Filius*
bilis vir, Franciscus de Borgia, Dux Genuæ
nobis humiliter supplicari fecit, ut documentum
et hinc

& spiritualia Exercitia prædicta examinari faceremus, & si approbatione, & laude digna inveniremus, approbare & laudare, aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui documenta, & exercitia huiusmodi examinari fecimus, & quæ testimonio, ac relatione Dilecti Filii nostri Ioannis Tit. S. Clementis Presbyteri Card. Burgenſis Episcopi, ac heretica pravitate Inquisitoris, & Venerabilis Fratris nostri Philippi Saluciarum Episcopi, ac dictæ Urbis nostræ in Spiritualibus Vicarii Generalis, nec non Dilecti Filii Egidii Foscararii, nostri S. Palatii Magistri, nobis desuper factâ pietate ac sanctitate plena, & ad adificationem, & spiritualem profectum fidelium valde utilia, ac salubria esse, & fore, comperimus, debitum etiâ respectum ad fructus uberes, quos Ignatius, & ab ipso instituta Societas præfata in Ecclesia DEI ubique gentium producere non cessant, & ad maximum adjuvmentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immerito habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, documenta, & Exercitia prædicta, ac omnia, & singula in eis contenta, auctoritate prædictâ, tenore præsentium, ex certâ scientiâ nostrâ approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio

*cinio communimus : hortantes plurimum
Domino omnes, & singulos, utriusque
Christi Fideles ubilibet constitutos, ut tam
documentis, & Exercitiis uti, & illis instrui
votè velint.*

Hæc sunt, quæ verum Ecclesiæ Jesu Christi
oraculum enuntiat, ut imponatur silentium
lis, qui in libello S. Ignatij reprehendunt, qui
ipsorum genio non arridet, nisi velint infideliter
haberi, dum infallibilem communis fidelium
Patris auctoritatem convellere nituntur. De
tæ animæ concipient ex paucis hæc selecta
nerationem, quam opus meretur, ex quodam
pta sunt.

Proprie Exercitiorum.

*Annotationes quædam, aliquid afferent
intelligentiæ ad Exercitia Spiritualia qua
quuntur : ut juvari possit tam is, qui ea
tur use est quàm, qui accepturus.*

Annotatio prima est : quòd ipso nomine
Spiritualium Exercitiorum intelligitur motus
quolibet examinandi propriam conscientiam
item meditando, contemplando, orando, scilicet
dum mentem, & vocem : ac postremo ad
quascunque spirituales operationes tractandum
ut dicetur deinceps. Sicut enim deambulare, &

facere, & currere, exercitia sunt corporalia: ita quoque preparare, & disponere animam, ad tollendas affectiones omnes, malè ordinatas, & eas sublatis ad quærendum, & inveniendum voluntatem Dei, circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ, exercitia vocantur spiritualia.

Secunda est; quòd ille, qui modum, & ordinem alteri tradit meditandi, sive contemplandi, fideliter narrare debet meditationis, seu contemplationis historiam, percursis obiter duntaxat punctis illius præcipuis, & adjectâ solùm brevi declaratiunculâ: ut is, qui meditaturus est, accepto veritatis historicæ primùm fundamento, discurrat postea, & ratiocinetur per seipsum. Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit, quod elucidationem, vel apprehensionem historicæ aliquantò majorem præbeat (sive ex discursu proprio, sive ex Divina mentis illustratione id contingat) gustum delectabiliorem, & uberiorem fructum percipiat, quàm si res ipsa ei ab altero diffusius narrata, & declarata esset. Non enim abundantia scientiæ, sed sensus, & gustus rerum interior desiderium animæ explere solet.

Tertia est: quòd, cum in sequentibus omnibus exercitiis spiritualibus utamur actibus intellectus, quando discurremus, voluntatis verò, quan-

quando afficimur; advertendum est, in operatione, quæ præcipue est voluntatis, dum voce aut mente cum Domino DEO, vel Sanctæ Spiritus colloquimur, majorem exigi à nobis reverentiam, quàm dum per usum intellectus circa intelligentiam potius moramur.

Quarta est: quòd licet Exercitiis sequentibus assignentur quatuor hebdomadæ, totidem exercitiorum partibus, singulæ singulis respondententes: videlicet, ut in prima hebdomada sit consideratio de peccatis: in secunda de Domini nostri Jesu Christi vita, usque ad ingressum ejus in Jerusalem, die Dominicâ Palmaram: in tertia de passione ejusdem: in quarta de resurrectione, & Ascensione, adjunctis tribus orandi modis: non tamen ita accipiendæ sunt hebdomadæ, ut necesse sit, unamquamque continere septem, vel octo dies. Cùm enim contingat alios aliis tardiores, vel promptiores esse, consequendum id, quod quærunt: puta in prima hebdomada contritionem, dolorem, & lacrymas de peccatis suis: aliquos etiam plura aut minus agitari probarique variis spiritibus expedit nonnunquam, succidi hebdomadam quamcunq; vel extendi juxta materiam subjectam rationem. Solet tamen totum Exercitiorum tempus triginta dierum, aut circiter, spatio concludi.

Quinta est: Quòd mirum in modum juvenis, qui suscipit exercitia, si magno atque liberali animo accedens, totum studium, & arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se, suisque omnibus id statuat, in quo ipsi potissimum servare possit, juxta ejus beneplacitum.

Sexta est: quòd tradens Exercitia, si animadvertat, ei, qui recipit, nullas incidere spirituales animi commotiones, ut sunt consolationes, tristitia, neque diversorum Spirituum agitationes, sed ulò debet percontari: an ipsa Exercitia prescriptis agat temporibus, & quibus modis: an etiam observet diligenter cunctas additiones: & de singulis ratio postuletur.

Septima est: quòd is, qui alterum exercendum tradat, si cum videat desolatione affici, cavere debet, ne se durum, vel austerum ipsi exhibeat, sed mitem potius, ac suavem præstet, confirmatoque animo, ad agendum strenuè impostero: et ceterisque inimici nostri versutiis, cum ad consolationem studeat disponere, tanquam brevi subsequaturam.

Octava est: quòd circa consolationes, & desolationes sumentis exercitia, & circa humani hostis fallacias poterunt usui esse regulæ, quæ in prioribus duabus hebdomadis habentur, de variis spiritibus internoscendis.

Nona

Nona est: quod quando exercendus est quipiam spiritualium rerum inexpertus, unde contingat eum in prima hebdomada crassius quibusdam apertisque tentationibus vexari, obsequis jam inde prosequendi obsequij Divini impedimentis, cujusmodi sunt molestia, avaritas, pudor, timor, habitus honoris mundantione, tunc illi, qui eum exerceret, superaddendum est usu regularum, quæ ad secundam hebdomadam pertinent de discretionis spirituum, & iis utendum solis, quæ in prima dantur quia quantum alter ex his accepturus commodi, tantumdem ex illis dispendij receret, ob subtilitatem rei, & sublimitatem, quæ supra ejus captum.

Decima est: quod qui exercetur, si tentationibus jactetur, boni speciem præferentibus, tunc muniendus est per dictas regulas hebdomadæ secundæ. Humani enim generis inimicus, per boni speciem, eos ut plurimum pugnatur, qui antea in via vitæ, quam illuminationem appellant, respondente exercitiis secundæ hebdomadæ, fuerint potius versati, quam in materia, quæ purgativa dici solet, atque per exercitia primæ hebdomadæ comprehenditur.

Undecima est: quod exercenti se in prima hebdomada expedit nescire, quid in secundam

acturus: sed ad consequendum illud, quod
tunc quaerit, acriter laborare, perinde ac si nihil
boni postea esset reperturus.

Duodecima est: quod admonendus est is,
qui exercitatur, ut cum in quotidiano quolibet
exercitio, ex quinque infra describendis, expen-
di debeat unius horæ tempus, curet semper ani-
mi quietem in hoc reperire, quod plus tempo-
ris potius, quam minus insumpsisse sibi conscius
sit. Frequens est enim daemone, hoc agere, ut
præfixum meditationi, vel orationi spatium
decurtetur.

Decima tertia est: quod cum facile sit ac le-
ve, affluente consolatione integram contem-
plationis horam traducere: difficillimum è con-
tinentia incidente desolatione: ideo adversus ten-
tationem, ac desolationem semper pugnandum
est, producto ultra præfixitam horam exercitio,
vincendi gratiâ: ita enim non solum discimus
resistere adversario, sed eum etiam expugnare.

Decima quarta est: quod si vacans exercitiis
ternatur consolatione multâ, & fervore magno
ferri, obviandum est, ne promisso aliquo, vel
motu, inconsultè, ac præcipitanter facto, se ob-
stringat: idque tantò fuerit diligentius præver-
tendum, quantò ille ingenij esse instabilioris
perspicitur. Quamvis enim unus justè alterum

movere possit ad ingressum Religionis, in qua
 emittenda sint Obedientiæ, Paupertatis, atque
 Castitatis vota, quamvis præterea majoris meriti
 sit opus ex voto, quàm sine voto factum, pluri-
 ma nihilominus ratio habenda est conditionum
 propriæ personarum: item attentè est conside-
 randum, quid commodi, vel incommodi possit
 occurrere, ad illud præstandum, quod aliquis
 promissurus sit.

Decima quinta est: quòd tradens exercitia
 non debet alterum impellere ad Paupertatem
 & promissionem ejus magis, quàm ad oppo-
 situm: neque ad hoc potius, quàm ad illud in-
 tutum vitæ: quia licet extra Exercitia licitum
 sit, & pro merito ducendum, si quis Ca-
 libatum, Religionem, & aliam quamcumque
 Evangelicam perfectionem amplecti suadeantur
 omnibus, quos ex personarum, & conditionum
 ratione probabile sit fore idoneos: longè ta-
 men convenientius, meliusque est, inter Exer-
 citia ipsa id non attentare, sed Dei potius vo-
 luntatem querere, atque præstolari, donec ipse
 Creator, ac Dominus noster animæ sibi devotæ
 se communicet, eamque amplectans, ad illius
 amorem, laudem & servitium disponat, præ-
 maximè scit esse commodum. Quapropter
 tradenti Exercitia standum est in æquilibrio, sine
 dila-

Minque, ut citra medium Creator ipse cum
creatura, & hæc vicissim cum illo rem transigat.

Decima sexta est: quod, ut Creator ipse Do-
minusque noster in creatura sua certius operetur,
si accidat, animam ad aliquid minus rectum
affici, atque inclinari, summopere ac totis viri-
bus nitendum est in contrarium: ut puta, si ad
officium, vel beneficium adipiscendum aspiret,
non Divinæ gloriæ, aut communis animarum
salutis causâ, sed commoditatis suæ, negotio-
rumque temporalium duntaxat: tunc affectus
ad oppositum impelli debet, per assiduas oratio-
nes, & alia Exercitia pia, in quibus à Clementia
Dei oppositum petatur: videlicet hunc ut ille
minimum offerat ipsi DEO, se tale officium, vel
beneficium, aut aliud quidvis jam non appetere,
nisi priorem affectum adeò mutaverit, aut nihil
omnino desideret, vel possideat alia ex cau-
sa, quam Divini cultûs, & honoris.

Decima septima perutilis est: quod, scilicet,
radens Exercitia inquirere, ac scire nolens pro-
prias alterius cogitationes, & peccata, superest,
certior factus fideliter de cogitationibus à va-
rio spiritu immixtis, & ad majus, aut minus
bonum trahentibus, spiritualia nonnulla Exer-
citia ipsi præscribat, præsentis animæ necessitati
opportuna.

Decima octava est: quod juxta ejus, qui scribitur post hoc, exercetur, habitudinem, puta pro xate, doctrina, vel ingenio, accommodari debent exercitia, ne cui rudi, aut imbecilli, seu debili ea imponantur, quæ ferre non possit citra incommodum, ne dum ad profectum suum assumere, dum milititer prout cuique in animo est, se se disponere, impariendum id demum est, quod eum optatissimum juvare possit. Propterea ei, qui se profecti duntaxat postulat, & ad gradum aliquo perducere, in quo animus suus conquiescat, non potest particulare primùm examen; deinde generale, simulque modus orandi manè per horam, dimidium, ex præceptorum Dei, & peccatorum mortalium consideratione. Suadentur etiam erit, ut octavo quoque die peccata sua confiteatur, & quindecim dierum intervallo, octo potius, si affectus impellat, sumat Eucharistiæ Sacramentum. Ista exercitationis ratione præcipuè competit rudibus, seu illiteratis, quibus super exponenda erunt singula præcepta Dei, atque Ecclesiæ mortalia peccata, cum quibus sensibus, & operibus misericordiarum. Iidem qui tradit Exercitia, alterum viderit debilis naturæ, ac parùm capacis, unde modicum profectus, & fructus sperari queat, satis fructus aliqua ex dictis levioribus exercitiis ipsi

scribere, usque ad Confessionem peccatorum: postea nonnulla conscientiae examina, & methodum Confessionis frequentioris dare, quibus jam paratum sibi animae profectum, seu lucrum tueri possit; non erit autem progrediendum ad Electionum dictamina, aliorumve, quam primae Hebdomadae exercitiorum: quoties praesertim alii adsunt, majori cum fructu exercitandi, nec omnia omnibus praestare temporis permittit angustia.

Decima nona est: quod homini negotiis publicis, vel aliis convenientibus distracto, sive ingenio, sive literis praeditus sit, suppetente ipsi hora una, & dimidia diebus singulis ad sumenda nonnulla exercitia, exponendum primò erit, quem in finem homo creatus sit: deinde per horam dimidiam examen particulare, deinceps Generale, cum modo ritè confitendi, sumendique SS. Sacramenti, tradi ei possunt: praescribendo etiam, ut manè per triduum, spatio unius horae, meditationem agat de primo, secundo, ac tertio peccato. Postea per alios tres dies, eadem horà de processu peccatorum. Per alios totidem de peccatis, quae peccatis respondent.

Dictanda quoque illi erunt intra totum dictarum meditationum tempus decem additiones.

Observabitur eadem meditandi ratio circa

Bbb 3

myste-

mysteria Domini nostri JESU Christi, quae in
 ipsismet exercitiis late explicatur.

Vigesima est: quòd ei, qui à negotiis libe-
 or est, & fructum consequi spiritualem optat,
 quàm possit maximum, tradenda sunt omnia
 exercitia eodem, quo procedunt, ordine,
 quidem scribi rerum capita, ne excidant e me-
 moria, expedit) in quibus (secundum succo-
 sum communiorem) tantò majorem facit
 progressum spiritualis vitæ, quantò magis
 amicis, notisque omnibus, & ab omni reatu
 humanarum solitudine sese abduxerit: ut in
 ædibus pristinis migret in domum, cellam
 aliquam secretiorem, unde ipsi liberum, se-
 rumq; sit egredi, ad matutinum Sacrum Missæ
 vel ad Vesperarum officium, cum libuerit an-
 endum, absque familiaris cujusdam interpel-
 tione. Ex qua quidem loci secessione, inter alia
 multas commoditates, hæ tres præcipuè con-
 gunt. Prima, quòd exclusis amicis, & fami-
 ribus, negotiisque minùs rectè ordinatis, ad
 cultum, gratiam apud DEUM non mediocri-
 meretur. Secunda, quòd per hujusmodi se-
 sum intellectu minùs, quàm antea distractio-
 diversas partes, sed collectâ, redactâque con-
 cogitatione ad rem unam, scilicet ad obsequi-
 dum DEO Creatori suo, & saluti animæ suæ

consulendum, multò liberius, ac expeditius utitur naturæ viribus in quærendo eo, quod desiderat tantopere. Tertia, quòd quantò se magis reperit anima segregatam, ac solitariam, tantò aptiorem seipsam reddit, ad quærendum, attingendumque Creatorem, & Dominum suum; ad quem insuper, quò propius accedit, eò melius, ad suscipienda Bonitatis Divinæ dona disponitur.

Pro prima Die.

Additiones ad Exercitia melius agenda, & ad ea, quæ optantur, inveniendâ, perutiles.

Prima est: ut ego, post cubitum, ante somnum, modico temporis spatio, quo recitaretur semel angelica Salutatio, cogitem de hora, quâ surgendum mihi erit, & de exercitio faciendo.

Secunda: ut expergefactus, statim exclusis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applicem, quod in primo mediæ noctis exercitio contemplaturus sum: utque majoris verècundia, & confusionis gratiâ, exemplum mihi hujusmodi proponam: quomodo miles aliquis staret coram Rege suo & cætu aulico erubescens, anxius, & confusus, qui in regem ipsum, accepto ab eò prius beneficiis, donisque plurimis, ac magnis, graviter deliquisse convi-

aus esset. In secundo itidem exercitio, repensam
quantum peccaverim, fingam me carnis
ctum esse, ac protinus sistendum coram summo
Judice, sicut mortis reus quispiam, ferreis ligatus
compedibus duci ad tribunal solet. Huiusmodi
igitur, vel alius, pro meditandarum rerum genera-
re, cogitationibus imbutus, vestitui meo me
duam.

Tertia: ut à loco futurae meditationis, pro
vel gemino adhuc passu distans, per tantillum
tempus, quo percurri oratio Dominica potest
animo sursum elevato considerem Dominum
meum JESUM, ut praesentem, & spectantem
quidnam acturus sum: cui reverentiam quam
humili gestu exhibere debeam.

Quarta est: ut ipsam aggrediar contem-
tionem, nunc prostratus humi, & pronus, vel
supinus jacens, nunc sedens, aut stans: & eorum
componens modo, quo sperem facilius id com-
qui, quod opto. Ubi adverti hæc duo debent
Primum, quòd si flexis genibus, vel in alio quocumque
vis situ, voti compos viam, nil requiram
Secundum, quòd in puncto, in quo affectus
fuero quæsitam devotionem, conquiescere
beo, sine transcurrendi anxietate, donec me
satisfecero.

Quinta: ut completo exercitio, sedens, vel
deus

deambulans, per quartam circiter horæ partem,
mecum dispiciam, quoniam modo meditatio,
seu contemplatio mihi successerit: &, si qui-
dem malè, causas inquiram, cum pœnitentia, ac
emendationis proposito: sin verò benè, gratias
DEO agam, eundem postea modum observatu-
rus.

Sexta: Ut cogitationes, quæ gaudium adfe-
runt, qualis est de Gloriosa Christi Resurrectio-
ne, subterfugiam: quoniam quælibet talis co-
gitatio impedit fletum, & dolorem de peccatis
meis, qui tunc quærendus est, adscitâ potiùs,
mortis, vel iudicij recordatione.

Septima: Ut eandem ob causam omni me
privem lucis claritate, januis ac fenestris clausis
tantisper, dum illic moror, nisi quamdiu legen-
dum, aut vescendum erit.

Octava: Ut à risu, verbisque risum provo-
cantibus, maximè abstinere.

Nona: Ut in neminem oculos intendam, ni-
si salutandi, aut valedicendi poscat occasio.

Decima: Ut aliquam addam satisfactionem,
seu pœnitentiam: quæ quidem in interiorem,
& exteriorem dividitur. Interior est, dolor de
propriis peccatis, cum firmo proposito cavendi
tum ab illis, tum ab aliis quibusvis imposterum.
Exterior autem, est fructus interioris, videlicet

castigatio aliqua de commissis: quæ tribus potissimum modis assumi potest.

Primò circa victum: subtractis quibuslibet non superfluis solùm (quod temperantia et non pœnitentiæ) sed etiam convenientibus alimentis: & eò fit meliùs, quò plus subtrahitur; vitatâ interim naturæ corruptione, aut debilitate gravi, seu infirmitate. Secundò circa somni & strati modum, sublati non mollior tantùm, aut deliciosi rebus, sed aliis etiam opportunis, quantum licet, citra vitæ, aut valetudinis grave periculum: quapropter de somno necessario nihil demendum est, nisi aliquando sper ad consuetudinem (si cui est nimij) somni moderandam. Tertiò circa ipsam carnem, inflatum sentiat dolorem, admotis, gestatibus ciliciis, funibus, aut vestibus ferreis, vel inculis, verberibus ac plagis, vel aliis austeritatibus generibus assumptis, in quibus tamen omnibus magis expedire videtur, ut doloris sensus in carne tantùm sit, nec penetret ossa, cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potissimum utemur, & funiculis minutis, quæ exteriores affligunt partes, non autem adeò interiores, ut valetudinem adversam causare possint.

Notanda sunt insuper quatuor hæc.

Circa pœnitentiam; primum: quod pœnitentia

nitentiæ exterioris triplex est usus seu effectus :
nimirum, ut pro delictis præteritis non nihil sa-
tis fiat. Ut vincat seipsum homo, inferiorem sui
partem, quæ *sensualitas* appellatur, superiori,
hoc est, rationi magis subiiciens. Ut postremò
quæramus, atque impetremus aliquod gratiæ
Divinæ donum, quod optamus : putà intimam
cordis contritionem de peccatis, & abundantiam
lachrymarum, vel propter illa, vel propter
pœnas, & dolores Passionis Christi, aut dubij
alicujus, quod nos angit, resolutionem.

Secundum : Quòd Additiones primæ duæ
solis conveniunt exercitiis, quæ mediâ nocte, &
sub auroram fiunt. Quarta verò in templo, vel
foram aliis nunquam, sed domi tantum, &
clamculum exequenda est.

Tertium : Quòd quando is, qui exercitatur,
effectum quæsitum non consequitur, ut dolo-
rem, vel consolationem, mutare subinde expe-
dit rationem victus somnique, & alia genera
pœnitentiæ : ita ut pœnitentiam unam per tri-
duum sectemur, & proximo eam biduo relin-
quamus, vel etiam triduo, prout diversis plùs aut
minùs pœnitentiæ est sumendum.

Præterea, cùm pœnitentias hujusmodi sæpe
omittamus ob affectum carnis, aut erroneum
iudicium, quasi naturalis nostra complexio fer-
re

re illas non possit, citra ingens valetudinis de-
trimentum: & è contrario justum nonnun-
quam pœnitentiæ modum excedamus, de cor-
poris robore nimis confidentes: mutatis, ut
dum est, pœnitentiæ generibus, ac per vitia
sumptis, & relictis, evenit plerumque, ut
mentissimus Dominus, qui naturam per-
tissimè cognoscit, unicuique id compen-
reddat, quod ipsi expedit.

Quartum: Quòd particulare examen
ad tollendas culpas, & negligentias, quæ
exercitia, & Additiones solent obrepere,
quod etiam, per tres alias sequentes hebdoma-
das observandum venit.

Pro secunda Die.

*Examen particulare, & quotidianum, in
tempora complectens, ad dispositionem sui,
duplicem discussionem accommoda.*

Primum tempus est matutinum, quo
homo, statim dum à somno surgit, proponit
diligentem suæ custodiam circa peccatum,
vitium aliquod particulare, à quo emendanda
pit. Secundum est pomeridianum, in quo
tenda est à DEO gratia, ut reminisci possit
quoties in peccatum, seu delictum istud particu-
lare incidit, & imposterum cavere: deinde
pro-

priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem de peccato seu vitio jam dicto, & singulas Diei partes præteritas percurrens, ab ea hora, qua surrexit, usque ad præsentem, quoties illud commiserit: & puncta totidem signet in priore linea figuræ subscriptæ: quibus peractis denuo proponat per spatium diei reliquum, diligentius sese cohibere. Tertium erit vespertinum tempus, in quo post cænæ horam, facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis, ab examine priore usque ad præsens lapsis, & eodem modo memoratis, enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriore linea figuræ sequenti similis, ad hoc præparatæ.

Additiones quatuor utiles ad faciliorem peccati seu vitii cuiusvis extirpationem.

Prima est: Ut quoties id peccati seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admoda doleat de lapsu: quod fieri potest etiam adfistentibus aliis, nec advertentibus.

Secunda est: Ut sub noctem numeratis, comparatisque invicem punctis linearum, quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur, attendat, an à priore examine usque secundum aliqua successerit emendatio.

Tertius

Tertia est: Ut conferat diei secundæ, æque præcedentis examina invicem, considerans quid emendationis intervenerit.

Quarta: Ut collatis Hebdomadarum dierum inter se examinibus, pari modo factæ omiſſæ emendationis rationem habeat.

Item notandum est, ex sequentibus figuris primam cæteris longiorem deputari diei primæ puta Dominicæ: secundam verò diei Lunæ paulò breviorẽ: & ita deinceps: cum partem minuti in dies erratorum numerum.

Dies Dominica. _____

Lunæ. _____

Martis. _____

Mercurij. _____

Jovis. _____

Veneris. _____

Sabbathi. _____

Examen Conscientiæ generale ad purgationem animæ & ad peccatorum Confessionem utilissimum.

Pro comperto ponitur, triplex incitamentum homini cogitationum genus: unum ex proprio surgens motu ipsius hominis: reliqua verò extrinsecus advenientia: ex boni scilicet, & mali spiritus suggestione.

De Cogitatione.

Duobus modis elicitur meritum ex mala cogitatione in materia peccati mortalis, de qua hic sermo est. Primò, quando suggeritur de peccando mortali crimine cogitatio, sed ea confestim repugnando vincitur. Secundò quando peccata istiusmodi suggestioni semel, ac iterum impulsæ, & subinde nihilominus revertenti continuè resistit homo, donec penitus expugnetur: quod quidem victoriæ genus meritò alterum antecellit.

Peccat autem leviter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur, quasi auscultando, vel quando aliquâ obiter sensûs delectatione afficitur, vel in ea retundenda sese exhibet negligentem. Mortale verò peccatum, per cogitationem duobus modis admittitur. Primò quando cogitationi peccati præbetur quacunque ratione assensus. Secundò, quando peccatum illud opere completur: idque gravius est priore, ex tribus causis: videlicet ob majorem temporis decursum: ob actum intensiorem: & ob plurimum denique offendiculum, sive detrimentum.

De Loquela.

Verbo etiam multifariam offenditur DEUS, ut in blasphemia, juramento. Nam jurandum non

non est, neque per Creatorem, neque per crea-
 turas ullas, nisi concurrentibus his tribus, ver-
 tate, necessitate, ac reverentiâ. Porro intelle-
 genda est necessitas non in veritatis cujuslibet
 affirmatione, sed ejus tantum, quæ circa spiri-
 tuale, corporale, vel etiam temporale bonum
 aliquod momenti est non levis. Reverentiâ
 dicimus, quando assumens Divinum nomen
 adhibet considerationem, ut DEO Creatori
 Domino debitus honor tribuatur.

Sciendum est autem, licet juramentum
 merè, seu vanè factum per Creatorem, sit
 vicius peccatum, quàm per creaturam: diffi-
 lus tamen esse, per hanc, quàm per illum
 jurare, servatis debitis circumstantiis, quæ
 ximus. Primò, quia in mentione creature
 cienda per juramentum, non ita excoitatur,
 reddimur attenti, ut ex veritate, ac necessitate
 remus, sicut nominato rerum omnium Crea-
 tore. Secundò eò quòd ad honorem DEO
 hibendum cum reverentia longè debilius
 vemur ex commemoratione creature, quàm
 ipsius DEI Creatoris, quamobrem jurare
 creaturas perfectis magis conceditur, quàm
 stioribus, sive idiotis: quandoquidem perfecti
 contemplationis usu assiduo, & illustratione
 intellectus considerant propiùs, atque depre-

...ue per crea
...ribus, ver
...orò intell
...is cuiuslibet
...circa sp
...orale bonu
...reverenti
...num nom
...Creator

dicunt, DEUM secundum essentiam, presentiam,
& potentiam suam creaturæ cuiuslibet inesse: un-
de ad præstandam illi debitam in iuramento re-
verentiam paratiores sunt aliis, qui eò perfe-
ctionis nondum provecti sunt. Tertio, quia
creaturis ad confirmationem iuramenti crebri-
us adscitis, periculum esset idololatriæ, id quod
imperfectis magis, quam perfectis fuerit timen-
dum.

...mentum
...em, fir
...m: diffi
...illum
...tis, qua
...creatura
...itatur,
...ecessitat
...nium Co
...em DEO
...ebilis
...ræ, equ
...in iuraz
...r, quam
...n perfect
...tratione
...e depre

Vitandum est insuper verbum otiosum (in-
ter alia locutionis peccata) quale esse intelli-
gitur, quodcunque nec loquenti, nec alteri pro-
dest: nec eo etiam animo profertur, ut afferat
utilitatem. E converso verò minimè otiosum
tenendum est verbum illud, quodcunque ad
animæ, vel propriæ, vel alienæ, aut ad corporis,
aut rei etiam temporalis commodum pertinet,
aut certè ad tale quidpiam ex dicentis mente di-
gitur: etiam si de negotiis quis loquatur, ab
instituto suo alienis: ut Religiosus de bellis vel
mercimoniis. Cæterum ex sermone quidem
ad finem bonum ordinato meritum contingit,
ad malum verò finem, aut futiliter prolatus ser-
mo generat peccatum.

Sunt & oris peccata, mendacium, falsa testi-
monia, detraçtio. Nam detrahendum non est
alteri, nec obmurmurandum; revelatò enim

Ccc

mor-

mortali alicujus peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione, vel gravi damno famæ alterius, mortale itidem peccatum committitur; veniali autem, veniale solum. Ad hoc quotiescunque alienum patefacimus vitium vel defectum, nostrum simul vitium, ac defectum commonstramus.

Verumtamen ubi recta mens est, de proximi delicto licebit loqui bifariam.

Primò, quando publicum est, ut meretricium vel damnatum in judicio, vel perniciolosum putà ob errorem publicum, animos conversationum corrumpentem.

Secundò, quoties occultum alicujus criminis indicatur alteri, per cujus subventionem, illud levare à peccato possit: dummodo rei hujus probabilis aliqua ratio, vel conjectura afferatur.

Possent inter oris peccata irrisiones, contumeliæ, & alia id genus adscribi: quæ per se licebit tradenti exercitia, prout opus esse judicaverit.

De Opere.

Propositis ante oculos decem mandatis Dei cum Ecclesiæ præceptis, & jussis majorum Superiorum, æstimandum est, quidquid fuerit adversus quodlibet eorum, id peccatum esse levius, aut gravius tamen, pro inæquali peccato.

di modo, & pro diversa peccantium habitudine. Porro, reduci ad iussa ducimus Superiorum, diplomata, seu indulta Pontificum pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace concedi atque promulgari solita: per quæ ad confessionem peccatorum, & Eucharistiæ Sanctæ sumptionem Christi Fideles invitantur. Peccat siquidem non leviter, quicumque tam piis Rectorum Ecclesiæ cohortationes, sanctionesque aspernari audeat ac transgredi.

Examinis generalis modus, particularis, seu puncta quinque complectentis.

Primum punctum est, Domino nostro DEO, pro beneficiis acceptis gratias agendas esse.

Secundum: quòd debemus pro cognitione, & expulsionem peccatorum gratiam flagitare.

Tertium; de admissis præsentis die peccatis, rationem ab anima nostra exigere per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primò quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam, atque operationem, eodem ordine, quo in particulari examine traditum est.

Quartum: Poscere veniam de delictis.

Quintum; proponere cum DEI gratia emendationem, & orationem dominicam post illa omnia recitare. *Pater noster.*

772 *Selecta ex libello Exercitiorum*
Confessionis Generalis, & Commu-
nionis usus.

Ex Confessione Generali ultro facta, inter alia pleraque, percipiuntur tria hæc emolumenta Primùm; quòd tametsi, qui annis singulis salutem confitetur semel, ad Generalem hujuscemodi Confessionem minimè obligetur, eam tamen facienti ipsi multò plus commodi, & meriti accedit: ob dolorem scilicet de peccatis, & malitiâ vitæ præteritæ, quem ita sentit verbementiorem.

Secundum; quoniam inspectâ per Spiritalem exercitationem longè quàm antea manifestius naturâ, & malitiâ peccatorum, tantò amplius commodum, ac meritum percepturus est.

Tertium: quia consentaneum est, hominem sic ritè confessum, atque dispositum, meliùs se habere ad Eucharistiæ Sumptionem, quæ maximè confert, & ad fugam peccati, & gratiæ receptæ conservationem, & augmentum.

Porro generalis ista Confessio post hebdomada primæ Exercitia potissimum erit opportuna.

Pro Tertia Die.

Regule aliquot ad motus animæ, quos diabolus excitant Spiritus, discernendos, ut boni scilicet admittantur, & pellantur mali.

Advertendum est, quòd potissimùm conveniunt Exercitiis Primæ Hebdomadæ.

Prima Regula est : Quòd illis, qui facile peccant lethali, & peccatum peccato addunt, ferè solet inimicus noster illecebras carnis, & sensuum delectationes obiicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. Spiritus verò bonus è contrario conscientiam illorum pungit assiduò, & per synderesis rationis officium à peccando deterret.

Secunda : Quòd aliis hominibus, qui se à vitiis, & peccatis purgandos curant sollicitè, & in obsequii divini studio magis ac magis in dies promovent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediatur. Spiritui autem bono ex opposito, proprium, consuetumque est, rectè agentibus animum ac vires addere, consolari, devotionis lachrymas cieri, illustrare mentem, & tranquillitatem dare, sublatis obstaculis omnibus, ut expeditius, alacriusque, per opera bona semper ultra tendant.

Tertia; quòd spiritualis propriè consolatio tunc esse noscitur, quando per internam quandam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec jam creaturam ullam, nisi

Ccc 3 pro.

propter ipsum potest diligere. Quando etiam lachrymæ funduntur amorem illum provocantes: sive ex dolore de peccatis profluant, sive meditatione Passionis Christi, sive ex causa aliqua qualibet, in DEI cultum, & honorem rectè ordinatâ. Postremò consolatio quoque dici potest fidei, spei, & charitatis quodlibet augmentum. Item læticia omnis, quæ animam ad cœlestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem, & pacem cum Domino habendam sollet incitare.

Quarta; quòd spiritualis è contra desolationem vocari debet quævis animæ obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infimas, seu terrenas, omnis denique inquietudo, & agitatio, sive tentatio, trahens in diffidentiam de salute, & spei, charitatèque expellens. Unde se anima trahitur, tepescere, ac torpere sentit, & de ipsius DEI Creatoris sui clementia propè desperare, sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam quæ ab utraque oriuntur cogitationes sunt inter se prorsus oppositæ.

Quinta; quòd tempore desolationis nihil deliberandum, aut innovandum est circa propositum animi, aut vitæ statum, sed in eis perseverandum, quæ fuerant priùs constituta, prout præcedente die, vel hora consolationis. Quæ admo-

admodum enim dum fruitur quis consolatione illa, quam diximus, non proprio suo, sed boni spiritus instinctu regitur, ita obversante sibi desolatione agitur à malo spiritu, cujus instigatione nihil unquam rectè conficitur.

Sexta; quòd, tamen si desolatione affectus homo priora sua consilia minimè debet immutare: expediet tamen provideri, & augeri ea, quæ contra desolationis impulsu tendunt: qualia sunt, insistere orationi, & meditationi, cum discussione sui, ac pœnitentiæ aliquid assumere.

Septima: quòd quamdiu premimur desolatione, cogitandum est, nos interim relinqui à Domino nobis ipsis, probationis causâ, ut per naturales quoque vires, insultibus inimici nostri obstetamus. Id quod possumus haud dubiè, assistente nobis jugiter auxilio Divino, licet tunc nequaquam sentiat, eò quòd fervorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit: relicta nihilominus gratiâ, quæ ad bene operandum, & ad consequendam salutem satis esse queat.

Octava: quòd hominem, tentatione pulsatum, mirè juvat patientiæ servandæ studium: ut quæ vexationibus hujusmodi propriè opponitur, & è diametro resistit. Accersenda etiam spes est, & cogitatio, ad futuram brevem consolationis:

tionis : si præsertim per sanctos conatus in laxa regula signatos, desolationis impetus frangatur.

Nona : quòd causæ desolationis tres sunt præcipuæ.

Prima : quia propter nostram in spiritualibus studiis, seu exercitiis tepiditatem, atque aviditatem, consolatione Divinâ merito privamur.

Secunda : ut probemur, quinam simus, & quomodo in DEI servitium, & honorem, ab illa que præsentem quodam consolationum, donorumque spiritualium stipendio, nosmet impendimus.

Tertia : ut certi planè simus, nostrarum virtutum non esse, vel acquirere, vel retinere firmam devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lachrymarum, aut aliam quamlibet internam consolationem : sed omnia hæc gratuita esse DEI dona : quæ si vindicemus nobis ut propria, superbiæ, & vanæ gloriæ crimine non sine salutis gravi periculo incursumus.

Decima : quòd fruenti homini consolatione prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit, desolatione deinceps occurrente : ut jam inde acrimoniam, & robur animi maturè compareret, ad impetum ejus reprimendum.

Undecima : ut ille idem, affluente consolatione

tionem seipsum deprimat, ac vilefaciat quantum potest: reputando se cum, quam imbellis, quamque ignavus esse apparebit, desolatione impugnantem: nisi per gratiam, & consolationis Divinae opem citò sublevetur. Contra verò ille, quem desolatio molestat, aestimare debet, cum DEI gratia se posse plurimum, facileque adversarios suos omnes devicturum esse, dummodo in DEI virtute collocet spem suam, & animum suum corroboret.

Duodecima: quòd hostis noster, naturam & morem muliebrem refert, quoad imbecillitatem virium, & animi pervicaciam. Nam sicut femina cum viro rixans, si hunc conspexerit, erecto, & constanti vultu sibi obsistere, abiicit illico animum, ac terga vertit: si verò timidum, fugacemque esse animadvertit, in extremam surgit audaciam, & illum ferociter invadit. Itidem consuevit daemon animo & robore planè destitui, quoties spirituales athletas corde imperterrito, ac fronte ardua tentationibus videt reluctari: si autem trepidet, ad primos impetus sustinendos, & quasi animum despondeat: nulla est bestia super terram, inimico illo tunc efferatior, acrior, & pertinacior in hominem: ut cum pernicie nostra, malignae obstinataeque mentis suae desiderium adimpleat.

Decima tertia : quòd idem inimicus nôster morè insequitur nequissimi cujuspiã amatoris qui puellã, honestorum parentũ filiam, vel uxorem viri alicujus probi, volens seducere, sumopere procurat, ut verba, & consilia sua occulta sint : nihilque reformidat magis, ac aggreditur, quàm si puella patri suo, vel uxor marito, patefaciat : cùm sciat hoc pacto de votis, & conditionibus suis actum esse, Ad eundem modum nixè satagit diabolus ; ut animã, quam circumvenire cupit, ac perdere, fraudulentas suas agestiones teneat secretas. Indignatur verò nimis, & gravissimè cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel spiritali homini, mysteria sua detegantur : à quibus ita excidere funditus intelligit.

Decima quarta : quòd solet etiam adversarius imitari aliquem belli Ducem ; qui obsessam arcem expugnare, atque depraedari cupiens, exploratã prius naturã, & munitione loci, debilem partem aggreditur. Sic nimirum, & circumcircuit animam, & callidè inquirit, quarumnam virtutum præidiis (moralium scilicet, & Theologicarum) ipsa vel munita, vel destituta sit : eãque potissimùm parte machinis omnibus admotis irruit, ac subvertere nos sperat, quod in nobis minùs cæteris firmatam, custoditam esse præviderit.

Pro quarta Die.

Septem Notanda pro secunda Hebdomade.

Primum: quòd tam in hac, quàm in qualibet sequente hebdomada, nullum debeo legere vel cogitare aliud mysterium, nisi quod eadem horâ, aut die considerandum sit, cum alioquin unum alteri obturbet.

Secundùm: quòd primum de Incarnatione Christi exercitium fit media nocte, proximum diluculo, tertium circa horam Missæ, quartum sub Vesperas, quintum paulò ante cænam, & eorum cuilibet spatium impendetur unius horæ. Id quod ab hinc deinceps ubique venit observandum.

Tertium: quòd si is, qui exercitatur, sit senex vel valetudinarius, vel per hebdomadam primam viribus attritus, præstat eum aliquoties non surgere de nocte, sed tres tantùm contemplationes peragere, in aurora, circa Missæ tempus, & ante prandium: superaddita circâ Vesperas una repetitione, & sensuum applicatione ante cænam.

Quartum: quòd in hac hebdomada secunda, ex decem additionibus, in prima traditis, variari debent secunda, sexta, & septima, cum decima. ex parte. In secunda quidem hoc mutatur,

tur, quòd simul atque excitor à somno, meditationem proxime instantem deo menti obviare, ac desiderium provocare, cognoscendius Incarnati æterni VERBI; ut ipsi servit & adhærescam tantò propensius, quanto inodibiliorem erga me bonitatem ejus perspexerim. In sexta verò; ut frequenti versum memoriam vitam Christi à tempore Incarnationis, ad eum usque, sive mysterium, de quo in præterita die, vel hora sum meditaturus. In septima luce vel obscuritate, sereno cœlo vel turbato, delecter, quatenus ad scopum refert, desiderium rei, pertingendum. In decima, ut ita memoriam, sicut exigere videtur mysterij contemplandi genus: cum nonnulla ex mysteriis penitentiam requirant, alia non item. Decima additio utendum erit circumspectio

Quintum: quòd in omnibus aliarum exercitiis, assumendum erit aliquid, quòd secundæ, & terciæ additioni æqualeat, hinc modum: Ubi primùm in mentem venierit esse meditandi horam, priusquam accedam inspiciam eminus, quòd ferar, & coram quo sum pariturus; ac transcursâ obiter exercitij parte, contemplationem statim auspicabor.

Sextum: In hac hebdomada secunda, & tertia

sequentibus, utile fuerit, aliquid subinde legere
ex Evangelio, vel pio alio codice; ut de imita-
tione Christi, Sanctorum vitâ &c.

Septimum: Expedi nonnunquam eum,
qui exercitatur, quamvis & vigore animi, & cor-
poris robore sit præditus, nonnihil tamen re-
mittere de præscriptis exercitiis secundæ hujus
hebdomadæ, & subsequentiū duarum: ut as-
sequi, quod cupit, commodius valeat, acceptâ
solummodo contemplatione unâ in crepuscu-
lo matutino, & alterâ circa Missæ tempus: qua-
rum repetitionem faciat horâ Vesperarum, &
sub Cœnam quinque imaginationis sensus
subiisdem exerceat.

*Regula alia utiles ad pleniorē spiri-
tuum discretionem, & secundæ Hebdoma-
dæ potissimū convenientes.*

Prima est: quod proprium est DEI, & An-
geli cuiusque boni, veram infundere spiritua-
lem lætitiā animæ, quam movent, sublatâ
tristitiâ, & perturbatione omni, quam ingessit
dæmon; cū hic è contrario Sophisticis argu-
mentis quibusdam, veri speciem præferenti-
bus, lætitiā illam, in anima repertam, oppu-
gnare soleat.

Secunda: Solius est DEI, consolari animam,
nul-

nullâ præcedente consolationis causa: cum de hoc proprium Creatoris, suam ingredi creaturam, & illam, in amorem suum totam convertere, trahere, & mutare. Causam verò præcedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ, quidquam objectum est, quod ejusmodi consolationem causare ex se possit.

Tertia: Quoties præcessit Consolationis causa, Author ejus potest existere tam malus angelus, quàm bonus, sed ad fines tendens contrarios: bonus quidem, ut anima in bonâ cognitione, & operatione magis proficiat; malus autem, ut malè agat illa, & pereat.

Quarta: Id moris est spiritui maligno, ut lucis Angelum transfigurans se, cogitationis animæ votis, primùm obsecundet, mox inde in perversa sua desideria illam alliciat. Similes etenim ab initio bonas, sanctasque hominum cogitationes sequi, ac fovere, & deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim trahere, & illaqueat.

Quinta: Sedulo, & accuratè excutiendæ sunt cogitationes nostræ circa principium, medium, & finem suum. Quæ tria si rectè se habebant, angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis; sin autem per discursum

mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima priùs querendo sequi decrevisset: vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublatâ, quæ priùs aderat, quiete, pace, & tranquillitate, evidens tunc erit indicium, auctorem esse cogitationis hujusmodi spiritum malignum: ut pote utilitati, & saluti nostræ semper adversantem.

Sexta: Quoties contingit in aliqua suggestione deprehendi hostem ex cauda sua serpentina, id est sine malo, quem semper nobis insinuare studet: tunc plurimum juvat revolvere discursum totum, & notare, quid ab initio prætexuerit bonæ cogitationis, & quomodo præcedentem spiritualis gustûs suavitatem, & animi serenitatem, sensim amovere, ac venenû suum infundere tentârit: ut per hujusmodi experimentum cognitæ illius fraudes, faciliùs deinceps caveantur.

Septima: Eorum, qui promovent in bono salutis, animis se insinuat uterque Spiritus diverso modo: bonus quidem leniter, placidè, ac suaviter, sicut aquæ stilla in spongiam illabens: malus verò duriter, implacidè, & violenter, cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram: illis autem, qui in dies tendunt in de-

te-

terius, oppositum prorsus ulavenit. Cujus
 nē diversitatis ratio est, quatenus angelo
 bet, similis est, vel dissimilis animæ ipsius dispo-
 sitio. Si enim contrariam sibi eam alterius
 Spiritus invenerit, cum strepitu, & pulsu, quod
 facile adverti queat, ei se conjungit: si contra-
 mem verò, tanquam in propriam & apertam
 domum subit cum quiete.

Octava: Quoties sine prævia ulla causa
 solatio nobis adest: quamvis eitanquam
 nitus immixta, ut supra dictum est, nihil
 ciæ subesse possit; debemus tamen attente
 sollicitè distinguere præsens consolatio
 tempus à proximo sequente, in quo
 fervet adhuc, & favoris Divini nuper accep-
 sentit reliquias; nam posteriore hoc tempore
 frequenter accidit, ut vel ex habitu, discutimus
 judicio proprio, vel ex boni aut mali Spiritus
 instinctu, aliqua sentiamus, vel deliberemus
 quæ cum ab ipso DEO citra medium non
 nent, solerti indigent discussione, priusquam
 recipiant assensum, vel in opus veniant.

Pro quinta Die.

*Regule nonnullæ in distribuendis Eleemo-
 nis servandæ.*

Prima: Si quid errogare libeat in hominibus

genere, vel amicitia conjunctos, erga quos sentitur proclivior affectus: attendendæ erunt regulae quatuor, quas ex parte circa electiones commemoravimus: quibus nos hic tres alias adjungimus.

Earum itaque prima hæc est: Ut affectus erga tales meus rectè proveniat ex amore DEI: quem certè amorem debeo sentire in me, ut radicem esse, & causam cujuscunque meæ affectionis, erga cognatos, & amicos omnes; ac operam dare, ut in hoc præsentis negotio, præcipua ea ratio elucescat.

Secunda: Ut considerem, si quis alter, cui parem mecum statum, seu perfectionis gradum optem, me consulat super negotio istiusmodi, quam ego illi erogationis faciendæ, dictaturus sim rationem: hac igitur & me uti par est.

Tertia: Ut cogitem, si mihi vitæ nunc exitus instaret, quid in hac re egisse vellem potissimum: Ita ergo agendum in præsentia decernam.

Quarta: Ut prospiciam similiter: quid malem in die judicij à me super his fuisse transactum: id quod & nunc citra dubium præeligam.

Quinta: Ut quoties ad personas, mihi humano aliquo vinculo conjunctas, affectum me-

um sentio magis inclinare, regulas quatuor
prædictas sedulo expendam, & juxta eas exa-
minem affectum: nihil de eleemosyna, seu di-
tributione facienda cogitans, donec ab animo
si quid non rectum inest, removero.

Sexta: Quamvis facultates Divino cultui
& usui Ecclesiastico dicatae, citra culpam ali-
mi possint, distribuendæ ab eo, qui ad hoc mi-
nisterium sit vocatus: cum tamen plurimum
determinanda propriis suis sumptibus pro
porcione, soleat de excessu scrupulus incidere
operæ pretium est, juxta regulas superiores
suz statum rectè disponere.

Septima: Propter rationes dictas, & ali-
pleraque in administrandis iis, quæ ad prop-
iam personam, conditionem, domum aut
miliam pertinent: optimum, ac securissimum
est unicuique, distributionis curam subeundi
suz subtrahat commoditati, quantum possit
ac se ipsum proximè conformet ad exem-
plum Domini nostri JESU Christi, summi Pontificis
eis; quandoquidem in tertio etiam Cartha-
gensi Concilio, in quo interfuit S. Augustinus
decretum fuit, supellectilem Episcopi videri
pauperem debere esse. Hoc idem in quodam
statu, seu vitæ genere provideri convenit: & ita
bitâ interim ratione personarum, & ita

ipforum; sicut in matrimonio exemplum præ-
bent S. Joachimus, & S. Anna, qui, divisis per
annos singulos facultatibus suis in tres partes,
pauperibus unam erogabant, alteram dicabant
in templi & Divini cultûs ministerium, &
tertiam postremò necessitati suæ reservabant.

*Quædam notatu digna de scrupulis,
quos animæ Dæmon iniicit, dignoscendis.*

Primum: Vulgò scrupulum appellant,
quando ex proprio liberi arbitrij motu, & judi-
cio, aliquid concludimus, peccatum esse, cùm
peccatum non sit: veluti si quis animadvertens
se crucem, ex paleis humi figuratam in transitu
calcasse, crimini sibi vertat. Hoc autem non
scrupulus propriè, sed judicium potiùs errone-
um vocari debet.

Secundum: scrupulus propriè dicendus est,
quoties post calcatam crucem ejusmodi, vel
post cogitationem, loquelam, aut operationem
aliquam, oboritur nobis extrinsecùs, peccati ad-
missi suspicio: & quamvis altera ex parte veni-
at in mentem, nos minimè peccasse, ambiguita-
tem tamen quamdam, atque animi perturbatio-
nem sentimus, à dæmone videlicet obtrusam.

Tertium: Prior scrupuli species, impropiè
sic dicti, prorsus abhorrenda est, ut erroris plena.

Posterior verò, per tempus aliquod (dum p̄fertim recens est vitæ melioris institutio) animam rebus spiritualibus vacantem , non parùm juvat, cum eam mirum in modum purgat atque ab omni peccati speci abducit : juxta illud Divi Gregorij : *Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.*

Quartum : Callidè observare solet inimiciorum qualisnam sit animæ cujusvis conscientia : celsiorne , an delicatior. Et, si quam invenit delicatam, multò quoque delicatorem efficere conatur , & in extremum quemdam redigere anxietatis gradum , ut sic miserè turbatam , à profectu spirituali tandem deiiciat. Purà si animam noverit, quæ peccato nulli consentiat mortali sive veniali, imò ne umbram quidem (ut sic dicamus) voluntarij peccati sustinere queat tunc, quoniam non potest veram peccationem illi obijcere, eò satagit adducere, ut peccatum sibi esse credat, quod revera non est, cujusmodi est, de verbo aliquo , vel cogitatione cula repentina. Crassam è diverso animam seu conscientiam , reddere crassiorem studet ut, quæ negligebat priùs venialia peccata, mortalia quoque nunc parùm curet , ac in dies minus respiciat.

Quintum : Ut anima progredi valeat in va-

Spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere: ut si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem: aut relaxet contrà, si dæmon nimum vellet restringere. Sic enim continget, vitatis extremæ utriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam, quieto, & securo statu, jugiter manere.

Sexta: Quotiescunque homini dicere, aut agere aliquid volenti, quod ab Ecclesiæ usu, vel majorum nostrorum sensu, non dissonat, quodque tendit in DEI gloriam, obviat extrinsecus suggestio dissuadens, ne dicat, aut agat illud propositum: adductâ, vel vanæ gloriæ, vel mali alterius cujusvis, fucatâ quadam ratione: tunc ad DEUM elevanda mens est, sique appareat, ad ejus gloriam spectare dictum, aut factum ejusmodi, vel certè contrarium non esse, tendendum rectâ erit adversus talem cogitationem: atque obstrepenti nobis inimico respondendum cum Divo Bernardo: *Nec propter te capi, nec propter te finiam.*

Pro Sexta Die.

Monita quinque circa considerationem statuum seu generum vitæ diversorum.

1. Cùm suprà propositum fuerit exemplum
Ddd 3. Christi

Christi de vitæ genere, quod in mandatorum Dei
observatione consistit, & primus, seu commu-
nis status appellatur: nunc idem ipse Dominus,
dum parentibus suis subditus fuisse memoratur,
formam videtur exhibere alterius, seu secundæ
status, pendens ab obedientia, & perfectione
Evangelicam afferentis, quando videlicet in
templum se contulit Patre Adscitio, & ma-
trali Matre derelictis, ut æterni Patris obsequium
vacaret. Quare opportunum hinc erit, nos quoque
illius vitam contemplantes vestigare, & ad
efflagitare proprium vitæ genus, in quo Ma-
jestati suæ nos servire malit. Ad hoc igitur
quirendum, possumus introduci per sequens
proximè exercitium (*quod est de duobus Vexil-
lis*) ad Christi mentem attendentes, collatis
cum opposita inimici. Discemus etiam ex
de, qua sit nobis opus dispositione, ut perfectum
eo evadamus statu, quemcunque Bonitas Do-
na eligendum nobis suggererit. *Hac dispo-
sitione qua addiscitur in Exercitio hoc de duobus
Vexillis, non est alia quàm humilitas. Et
quomodo S. Ignatius aestimet, eam necessariam
esse ad obtinendam perfectionem Christianam,
quocunque in statu; proin amorem illi tantum
penitus addicas. Hoc monitum ponitur in Exer-
citiis S. Ignatii post materiam tertii diei*

cunda hebdomada: Id, quod sequitur, habetur in fine meditationis de tribus Classibus.

2. Notandum adhuc, Quod ubi affectum sentimus paupertati perfectæ, quæ tum in spiritu, tum in rerum abdicatione consistit, adversantem, & ad divitias magis inclinantem: multum confert ad eum elidendum, petere à DEO, licet renitent carne, ut ad paupertatem ejusmodi sectandam nos eligat: servabimus tamen interea desiderij nostri libertatem, quâ liceat convenientiorem servitio divino viam ingredi.

Sequentia duo sequuntur materiam duodecima diei ejusdem hebdomada.

3. Inchoanda est electionum discussio, à contemplatione discessus Christi ex Nazareth, Jordanem versus, quæ fit quinta die.

4. Antequam electionum materiam aggrediamur: ut ad capessendam germanam Christi doctrinam affectum nostrum disponamus, imprimè juvat considerare, ac per diem totum revolvere identidem tres sequentes modos humilitatis: necnon colloquia dicenda crebrò agitare.

Huic monito S Ignatius subjungit tres modos humilitatis prout nos posuimus illos in punctis meditationis, de eis statuta. Tandem his terminis concludit.

Ddd 4

5. Por-

5. Porro ad gradum hunc humilitatis attingendum, magnum afferet compendium, triplicis colloquii præcedentis de duobus Verbalibus usus, per quod suppliciter poscimus (si Divina placeat benignitati) ad talem perducere electionem: scilicet ad præferendam Paupertatem, contemptum, & infamiam, divitiis, honoribus, & magna existimationi) sive major, sive æqualis obsequij mei erga DEUM, & gloriæ Divinæ proventus subit.

Vide, quantum sit S. Ignatio desiderium perducendinos, ad toto cordis affectu propinquendam humiliationem; quandoquidem nobis eam toties exigit postulari à Beatissima Virgine, Christo Domino, & DEO Patre.

Principium Præsupponendum, tantquam omnis bonæ Electionis Fundamentum.

Ad bene quidpiam eligendum, nostræ sunt partes, ut oculo puro, & simplici spectemus, quorsum fuerimus creati: nimirum ad laudem DEI, & salutem nostram: quapropter eligenda sunt ea tantum, quæ conducunt ad debitum finem, cum ubique fini medium, non medio finis debeat subordinari: unde errant, qui uxorem ducere primitus, aut Ecclesiasticum munus, seu Beneficium adipisci statuunt, atque

ita demum DEO postea inservire, utentes præ-
 posterè sine, ac medio, nec ad DEUM tendentes
 recta, sed obliquè ipsum ad perversa vota sua
 pertrahere conantes. Atqui è contrario planè
 agendum est: proposito primùm Divino Cul-
 tu tanquam fine nostro: & electio deinceps con-
 jugio, vel Sacerdotio, cæterisque rebus omni-
 bus, quatenus expedit ad præfixum finem, ordi-
 natis. Idcirco nihil movere nos debet, ad me-
 diis quibusvis utendum, aut supersedendum, ni-
 si habita inprimis tam Divinæ laudis, quàm
 nostræ salutis certâ ratione.

*Introductio ad eligendarum rerum
 notitiam, complectens quatuor puncta, &
 annotatiunculam unam.*

Primum punctum est: Quòd res omnes, quæ
 sub electionem cadunt, necessariò bonæ esse de-
 bent ex seipsis, aut certè non malæ, nec nisi
 consonæ institutis Orthodoxæ Matris Ecclesiæ,

Secundum: Quòd genera duo rerum ele-
 ctioni quadrant, nam quarundam electio in-
 mutabilis est, ut Ordinis Sacerdotalis, & Matrimo-
 nii, aliarum verò mutari potest: sicut reddituum
 Ecclesiasticorum, vel sæcularium, quos recipi,
 & relinqui ex causa fas est.

Tertium: Quòd circa ea, de quibus facta jam
 D d d 5 sit

fit electio immutabilis, nihil superest eligendum. Sed advertendum est, quod, si quis improvidè, nec sine obliquis affectionibus aliquid elegerit, quod non liceat retractare, reliquum est, ubi eum cæperit pœnitere facti, Electionis damnum probitate vitæ, & operum solent pensare: resiliere autem nullo pacto decet, quoniam vis electio istiusmodi non videatur vocatio Divina esse, utpote obliqua, atque inconsulta: quoniam in re non pauci errant, electionem malam, & obliquam pro Divina vocatione reputantes: cum hæc semper pura, & clara sit, non carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta.

Quartum: Quod si quis debito modo, & ordine absque carnali mundanoque affectu quoniampiam elegit, quod mutari possit, non est cur vellet electionem talem: sed potius, ut in ea magis proficiat, adniti debet. Notandum autem est: quod si electio rerum huiusmodi mutabilium, non ita rectè, atque sincerè processerit, eam expedit corrigere, ut fructus uberior, & DEO gratior produci possit.

De tempore triptici, ad electionem rectè faciendas magis opportuno.

Tempus primum erit: Quando voluntas divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imò etiã dubitandi facultas animæ sublevis, quò

quò minùs sequatur impulsionem talem, sicut legimus Beatis Paulo & Matthæo, & alijs, vocante Christo accidisse.

Secundum est: Quoties satùs clara comperitumque sit beneplacitum Divinum, eloquentè id aliquo consolationum, desolationum, vel diversorum spirituum prævio experimento.

Tertium est: Quando per animi tranquillitatem aliquis considerato fine, ad quem conditus est (ad DEI gloriam scilicet, & salutem suam) eligit certum vitæ genus, intra Ecclesiæ Catholicæ Limites constitutum, per quod ceu medium commodius securiusque, ad suum finem tendat.

Porro tranquillitas ea tunc noscitur adesse, quotiescunque anima, nullis agitata varijs spiritibus vires naturales suas liberè exercet. Itaque nisi primi, vel secundi temporis beneficio, electio contingat, superest ad tertium recursus, duobus modis sequentibus distinctum.

Modus prior sanæ, bonaque Electionis faciendæ, sex constans punctis.

Punctum primum erit; proferre in medium rem deliberandam, ut de officio, vel beneficio; acceptandùmne, an potius reiiciendum sit; & ita de cæteris rebus, quæ ad mutabilem Electionem spectant.

Se-

Secundum est : adducto ante oculos, creationis meae sine, in hoc consistente, ut cum Dei laude salvus fiam, in neutram declinare partem amplectendae, vel repudiandae rei contraversae : quin potius velut in medio quodam interstitio, & aequilibrio subsistere, paratior animo, ut in eam illico partem totus ferar, quam non vero Divinae gloriae, & salutis meae fore a ptio rem.

Tertium : obsecrare DEI clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem, quocumque potius mihi tendendum sit, adhibito nihiloscilicet, pio, fidelique intellectu mei ratiocinio : per quod apprehensam & probatam DEI voluntate ad Electionem ferar.

Quartum : Perpendere quot tandem commoda, vel adminicula mihi ad finem prosequendum accedent, ex tali officio, vel beneficio suscepto : quot rursus ex eodem incommoda, & pericula impendent. Praeterea, quot per oppositum commissum illo tam commoda, & adminicula, quam discrimina, & damna possim expectare.

Quintum : His praemissis ratiocinari in utramque partem : & juxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, Electionem concludere.

Sextum: Electione factâ ad orandum citò
proflire, & illam offerre DEO, perfectè de-
mum, si ei placeat, recipiendam, & stabilien-
dam.

*Modus posterior bene eligendi, in
Regulas quatuor, & Annotationem unam
distributus.*

Prima: quòd cum oporteat per affectum,
ex DEI amore cœlitus infusum, fieri Electio-
nem, eligentem convenit persentiscere in se-
ipso, quòd, quidquid affectionis (sive multum,
sive modicum sit) erga rem electam tenet, ex so-
lius DEI amore, & intuitu proficiscatur.

Secunda est: Considerare, si quis mihi vir
amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse
cupiam, occurreret dubius super electione hu-
jusmodi, quidnam ego illi decernendum maxi-
mè essem consulturus: quo animadverso,
agendum & mihi dicam, ut suaderem alteri.

Tertia: Mecum insuper reputare, si mors
ingrueret, quem me malle observâsse modum
in præsentis deliberatione. Juxta hunc igitur eli-
gendum nunc esse facillè intelligam.

Quarta: Prospicere non minùs, quando
pro tribunali sistar judicandus, quo me consilio
hac in re usum esse vellè: quo agnito nunc utar,
ut eo tempore magis sim securus. Ad-

Adnotandum est postremò : quòd hìcce regulis quatuor, propter salutem meam & animi quietem accuratè servatis, debeo juxta ultimum punctum modi præcedentis, electionem ipsam definire, & offerre DEO comprobendam.

De Emendatione, seu reformatione circa vitæ statum cuiusvis facienda.

Inprimis illud est advertendum: quòd quis Matrimonio, vel officio dignitatu Ecclesiasticæ sit adstrictus (de temporalium verò honorum quantitate, magna, an parva sit, non fert) unde ipsi non vacet, aut parùm libeat circa mutabilium rerum electiones versari: oportet præterea pretium est, earum loco methodum ei tradere seu formulam aliquam, ex qua vitam suam, & statum proprium possit emendare. Debet igitur, quisquis ejusmodi conditionem sortitus, ut finem creationis, & vitæ suæ, rectè statuat, & sequatur, per exercitia suprãdicta, & electionum modos attendere, atque ruminando scilicet colligere, quàm amplam domum, & familiam æquum sit se habere, quibus eam modis tractare, & administrare conveniat: quibus instruere verbis, & exemplis; quantum præterea de possessis facultatibus sumptum facere liceat in usus proprios, sive domesticos: quid rursum

pauperibus erogare, vel impendere piis operibus deceat: nihil affectando aliud, nec quaerendo, nisi quod honorem DEI, & salutem suam praestet. Hoc enim unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & commodi proprii affectione sese abstraxerit.

Pro septima Die.

Tria notanda pro tertia hebdomade. Primum invenitur in Exercitiis S. Ignatii ad finem primae Contemplationis tertiae hebdomadae.

In Colloquiis est notandum, quod agere convenit, & aliquid petere juxta praesentis rei rationem: videlicet, prout sentio in me consolationem, vel perturbationem: prout virtutem unam, vel alteram expeto: prout in hanc, vel illam partem de me statuere intendo: prout etiam de re, quam contemplan, tristari volo, vel laetari. Denique postulandum erit illud, quod circa rem certam aliquam, maximè desidero: & unum duntaxat colloquium poterit confici ad Christum Dominum: vel triplex, si devotio instiget, nempe ad Matrem, Filium, & Patrem, sicut traditum est in contemplatione secundae hebdomadae de tribus Classibus cum sequente illie

illic annotatione. *Istud est alterum monitum ex quinque supra notatis pro sexta die: Unde adverte, quantum S. Ignatius aestimet, non instantanter postulare à DEO gratiam, perfectè JESV patientis humiliaciones imitandi. Duo sequentia monita sequuntur secundam contemplationem ejusdem hebdomadæ.*

Tertium : quòd in hac tertia hebdomada mutandæ sunt ex parte additio secunda & sexta: siquidem (quod ad secundam spectat) ubi fuero experrectus, præcogitans, quò tendam, instantem contemplationem paululum delibans, interim dum surgo, & accingor, admitte simul ad tristitiam, & dolorem, detor ac tantum Christi pœnis, me ipsum acriter incitate. Quoad sextam verò suffugiam potius, quam quæram, aut admittam jucundas cogitationes, licet alioquin utiles, & sanctas; ut sunt de resurrectione Christi, & gloria; pro quibus in meditanda ejus Passione angores, & pœnis hauriam ex frequenti eorum recordatione, que ab hora suæ nativitatis, ad exitum usque vite hujus, ipse perpeffus est.

Regula aliquot ad victum rectè temperandum.

Prima est: quòd à pane minùs abstinendum

est, quàm à reliquis alimentis ; cùm neque gulam ad eò irritet, nec tentationi æquè obnoxios nos reddat.

Secunda : quòd circa potum attendenda sit magis abstinencia, quàm circa panem : cautè observando, quæ pro sit mensura potûs, ut sumatur semper ; quæ rursus noceat, ut tollatur.

Tertia : quòd circa pulmenta, & edulia potissimum abstinenciæ ratio versetur : cùm per illa, tum appetitui ad peccandû, tum inimico ad tentandû, major subministratur occasio. Temperanda sunt igitur, vitandi excessûs causâ : quod fit dupliciter, dum vel cibis grossioribus vescimur, atque assuescimus, vel dum parcè delicatis utimur.

Quarta est : quòd quantò plus de convenienti victu sibi quis ademerit (vitato interim valetudinis adversæ gravi periculo) tantò celerius mensuram cibi ac potûs justam reperiet : Tum quia, hoc modo melius se disponens, & obnoxius tendens ad perfectionem, sentiet interdum quosdam cognitionis internæ radios, & consolatorios motus sibi Cœlitus immissos, ex quibus facillè poterit rationem victûs commodiorem discernere : Tum quoniam, si quis, ita abstinendo, se deprehenderit viribus imbecillio rem esse, quàm ut exercitia ipsa spiritualia

Ecc

per-

peragere commodè valeat, sic facilè adverte
quam mensuram victûs, naturæ necessitas re-
quirat.

Quinta: quòd expedit inter comedendum
imaginari, quasi videamus JESUM Christum
Dominum nostrum, vescentem cum suis Disci-
pulis; observando, quem teneat edendi, biben-
di, respiciendi, & loquendi modum, eumque
imitandū nobis proponendo: ut veniet enim
ut occupato magis intellectu circa Meditatio-
nem talem, quàm circa corporalem cibum, de-
scamus faciliùs victum moderari.

Sexta: quòd gratiâ varietatis, aliæ adhiberi
possunt Meditationes inter vescendum: ut sunt
de Sanctorum vita: de pia quapiâ doctrina; vel
de aliquo spirituali negotio agendo; unde sic ab-
stractâ mente cibus ipse, & vescendi delectatio,
parum sentiatur.

Septima: quòd cavendum sit præcipuè, ne
super sumendos cibos animus quodammodo contum-
effundatur, & ne avidè vescamur, & festinè: sed
appetitui semper dominantes, tum mensuram
victûs, tum sumendi modum unâ temperant.

Octava est: quòd plurimùm conducit, ad
tollendam cibi potûsque immoderantiam, si
ante prandium, aut cœnam, & quacunque ho-
râ nulla esuries sentitur, præviâ deliberatione
victum

victum proximè sumendum definiamus ad mensuram certam, quam deinde nullâ, vel propriâ aviditate, vel instigatione inimici unquam excedemus; sed potiùs vincendæ utriusque causâ, de illa nonnihil etiam subducamus.

Regula aliquot servanda, ut cum orthodoxa Ecclesia verè sentiamus.

Prima: sublato proprio omni iudicio, tenendus est semper paratus promptusque animus, ad obediendum veræ Christi sponsæ, ac sanctæ Matri nostræ, quæ est Orthodoxa, Catholica, & Hierarchica Ecclesia.

Secunda: Laudare convenit solitam fieri Sacerdoti Confessionem peccatorum, & Eucharistiæ Sacræ Sumptionem, annuam ut minimum; cum sit laudabilius, octavo quoque die, aut semel saltem in mense quolibet, servatis interim conditionibus debitis, Sacramentum ipsum suscipere.

Tertia: Commendare Christi fidelibus, ut frequenter ac devotè Missæ sacrum, seu sacrificium audiant. Item Cantus Ecclesiasticos, Psalmos, & prolixas preces in templis, vel extra templa recitandas; tempora etiam probare determinata officii Divinis, & precationibus quibuscunque: ut sunt, quas vocamus horas Canonicas.

Ecc 2

Quar

Quarta: Laudare plurimum Religionum status: atque Cælibatum, seu Virginitatem Matrimonio præferre.

Quinta: Comprobare vota Religiosorum de conservanda Castitate, Paupertate, Obedientiâque perpetua, cum aliis perfectionis, & supererogationis operibus. Ubi obiter notandum est, quòd cum voti ratio ad ea pertineat, quæ ad perfectionem ducunt vitæ Christianæ: de aliis quæ ab ipsa perfectione potius avertunt, ut de negotiatione, vel Matrimonio, votum minus quam emittendum sit.

Sexta: Laudare præterea reliquias, venerationem, & invocationem sanctorum. Institutiones, peregrinationesque pias: Indulgentias, Jubilæa, Candelas in templis accendi solitas, & reliqua hujusmodi pietatis, ac devotionis nostræ adminicula.

Septima: Extollere abstinentiæ, ac jejuniorum usum, ut Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum, sextæ feriæ, Sabbathi, aliorumque pro devotione susceptorum. Item spontaneas afflictiones sui, quas pœnitentias dicimus, non internas solum, sed etiam externas.

Octava: Laudare insuper templorum constructiones, atque ornamenta: nec non imagines, tanquam propter id, quod representant, re optimo venerandas.

Nona: Confirmare maximè omnia Ecclesie præcepta, nec impugnare ullo modo: sed contra impugnantes quæ sitis undique rationibus promptè defendere.

Decima: Patrum etiam, seu Superiorum Decreta, Mandata, Traditiones, Ritus, & Mores, studiosè probare. Licet autem non reperiatur ubique ea, quæ deberet esse, morum integritas: si quis tamen, vel in publica Concione, vel in populari commercio, ipsis obloquitur, generat potius damna, & scandala, quàm aliquid afferat remedij aut utilitatis, cum nihil aliud sequatur, nisi exasperatio, & obrectatio populi, adversus Principes, ac Pastores suos. Temperandum est igitur ab isto invektivarum genere. Verumtamen, sicut damnosum est, Primates ipsos absentes, apud populum allatrare, atque proscindere: ita rursus privati admonere eos, qui, si velint, mederi huic malo possunt, operæ pretium videtur fore.

Undecima: Doctrinam sacram plurimi facere: tum eam, quæ positiva dici solet, tum quæ Scholastica. Sicut enim Sanctis Doctorebus antiquis, Hieronymo, Augustino, Gregorio, & consimilibus, scopus fuit ad amorem & cultum DEI amplectendum, animos movere: Ita peculiare est Beato Thomæ, Bonaventuræ, Ma-

Ecc 3

Ma-

Magistro sententiarum, & aliis Recentioribus Theologis, dogmata ad salutem necessaria exactius tradere, atque definire, prout convenit suis temporibus, & posteris, ad errores hactenus confutandos: siquidem Doctores ejusmodi, ut sunt tempore posteriores, non solum Scripturæ Sacræ intelligentiâ præditi sunt, & veterum auctorum juvantur scriptis: sed etiam cum influxu Divini luminis, Conciliorum sanctionibus, Decretis, & variis Ecclesiæ Sacræ Constitutionibus, ad salutis nostræ subitum, feliciter utuntur.

Duodecima: Culpabilis est, ac vitanda hominum, qui adhuc in terris vivunt, (quantumvis laudabilium) comparatio cum Sanctis, & Beatis: dicendo. Iste est doctior S. Augustinus ille alter S. Franciscus: æqualis est Paulo Sapientia, aut aliquâ virtute non est inferior, &c.

Decima tertia: Denique ut ipsi Ecclesiæ Catholicæ omnino unanimes, conformesque sumus, si quid, quod oculis nostris appareat album, nigrum illa esse definierit, debemus itidem, quod nigrum sit, pronuntiare; indubitè namque credendum est, eundem esse Dominum nostrum Jesum Christum, & Ecclesiæ orthodoxæ, Sponsæ ejus Spiritum, per quem gubernamur, ac dirigimur ad salutem: neque alium esse DEUM, qui est

tradidit Decalogi præcepta, & qui nunc temporis Ecclesiam Hierarchicam instruit, atque regit.

Decima quarta: Advertendum quoque est, quamquam verissimum sit, nemini contingere salutem, nisi prædestinato; circumspicere tamen super hoc loquendum esse: ne fortè gratiam, seu prædestinationem DEI nimis extendentes, liberi arbitrij vires, & operum bonorum merita excludere velle videamur: vel è converso, ne plus æquo hisce tribuentes, illis interim derogemus.

Decima quinta: similem ob causam frequens de prædestinatione sermo habendus non est: sique incidat nonnunquam, ita temperari decet, ut nulla plebi audienti detur occasio erroris, ac dicendi: si de salute mea, vel damnatione jam definitum est, sive malè, sive bene agam, aliter evenire non potest, unde solent multi opera bona negligere, & alia subsidia salutis.

Decima sexta: Accidit etiam non rarò; ut ex immodica fidei prædicatione, adjecta distinctione, aut explicatione nullâ, ansam arripiat populus torpescendi circa bona quælibet opera, quæ fidem præeunt, aut sequuntur, charitatis nexu efformata.

Decima septima: Neque itidem prædicanda,
Ecc 4 da,

da, & inculcanda gratia DEI usque adeo infestandum fuerit, ut serpere inde possit auditorum animis lethalis error, negata liberi arbitrij nostri facultate. De gratia ergo ipsa diffuse quidem loqui fas est DEO adspirante: sed quatenus in gloriam ejus uberiolem redundet, idcirco juxta modum convenientem nostris presentium temporibus tam periculosis: ne & liberi arbitrij usus, & operum bonorum efficacia tollatur.

Decima octava. Quamvis summe laudabile sit, atque utile ex dilectione pura inservire DEO: nihilominus tamen valde commendandus est Majestatis Divinae timor. Neque porro is timor solum, quem *filialem* appellamus, qui pius est, ac sanctus maxime: verum etiam aliter, *servilis* dicitur. Quippe qui homini utilis est admodum, & saepe numero necessarius: ut à mortali peccato, quando incidere contingit, relin- gere promptè studeamus, à quo dum erimus immunes, atque alieni, facilius patebit accessus ad timorem illum filialem, DEO penitus acceptum, qui nobis, cum ipso DEO unionem amoris praestat, & conservat.

Pro Octava Die.

Tria notanda pro quarta Hebdomade.

Posita illa sunt in libello Exercitiorum.

Ignatius

Ignatii initio quarta Hebdomada, post contemplationem de Resurrectione Christi. Verum quidem est, quod S. Ignatius quatuor posuerit; sed nos primum omittimus, eo quod tantum illis conveniat, qui per mensem integrum Exercitiis vacant. Habe modò tria posteriora.

1. Igitur notandum est: convenire magis quartæ huic hebdomadæ, quam præcedentibus, ut quatuor duntaxat fiant Exercitia. Primum, postquam manè surreximus. Secundum, circa Missæ tempus, vel paulò ante prandium, prioris repetitionis loco. Tertium, horâ vespèrarum, pro secunda Repetitione. Quartum ante Cænam, ad motis sensuum officii, ad imprimendas fortiùs animæ Contemplationes tres, eo die factas, signatis obiter, & penitiùs tractatis partibus, seu locis illis, in quibus motus animi efficaciores, majorémque gustum spirituales senserimus.

2. Quamvis ei, qui exercitatur, certus præscribatur numerus punctorum; puta ternarius, aut quaternarius; liberum tamen ipsi erit in plura, vel pauciora puncta redigere Contemplationem, prout commodius se habere expertus fuerit. Quâ in re magnopere juvabit antè ingressum Exercitij tractanda puncta comminisci, & numero certo præfinire.

Ecc 5 3. Deni-

3. Denique notandum est: quod per quartam hanc hebdomadam variari debent secunda, sexta, septima, & decima, Additiones. In secunda quidem: ut dum evigilo, repente mihi ponam ob oculos statutam Contemplationem, & de gaudio Domini cum suis, studeam & quod exhilarescere. In sexta verò, ut memoriam obiiciam ea, quæ lætitiæ spirituales cient, & cogitatio de gloria. In septima, ut lucis, & utilitatis commoditate, quæ sese offeret: puta per tempus vernum, herbarum virentium, & florum aspectu, aut aprici loci amœnitate: per hyemem verò solis vel ignis opportuno calore: & ita de cæteris corporis, atque animi oblectationibus congruis: per quas Creatori, & Redemptori meo congaudere queam. In Decima ut loco pœnitentiæ, temperantiæ, & mediocritate victus contentus sim: nisi quo tempore jejunium, vel abstinentiæ Ecclesia indixit: & si jus præceptis semper obtemperandum est, nisi justum adsit impedimentum.

Modi tres Orandi.

Primus Orandi modus deducendus est a mandatis, ex peccatis septem Mortalibus, & tribus animæ potentiis, & ex quinque sensibus consideratis: unde non tam habet Orationis formam, quàm Exercitij cujusdam spiritualis.

per quod & anima juvatur, & oratio DEO redditur acceptior. Priùs itaque quàm hoc orem modo, juxta illud, quod Tertiæ Additioni æquipollet, sedebo, vel deambulabo paulisper (prout ad animæ quietem facere videro) pensitans apud me, quò mihi accedendum sit, & quid faciendum. Hoc idem additionis genus ad omnem orandi modum præmitti debet.

Oratio præparatoria gratiæ contineat postulationem: ut mihi detur agnoscere, quidquid deliquero, adversus Decalogi præcepta: meque imposterum emendare, intellectis illis exactius, & (ut par est) ad DEI gloriam, & salutem meam solito cautiùs observatis.

Primò ergo, mandatum quodlibet ordine discutiam, attendens, quo pacto servaverim illud, aut violaverim: deque succurrentibus in memoriam delictis veniam precabor, recitando semel *Pater noster*. Porro in excutiendis singulis præceptis, satis fuerit insumi spatium temporis, quo ter possit oratio Dominica percurri: Notandum tamen, quòd circa præceptum, cujus prævaricatio rarior nobis accideret, minùs immorandum esset, at eò ampliùs, quo lapsus fuerit ex assuetudine frequentior: idque similiter, circa mortalia peccata, sic præstandù.

Completo de Præceptis singulis discursu,
post

post meam accusationem, & gratiae implorationem, ut ea vigilantius deinceps custodiam, colloquium dirigam ad DEUM, juxta rei occasionem.

Secundò, similem orationis modum prosequemur, circa Mortalia peccata, post additionem, & præparatoriam orationem, sicut loquimur in Præceptis. Nihil enim utrobique viciarium occurrit; nisi quod ad materiam attentionem præcepta quidem servanda sunt, peccata vero devitanda. Cætera eadem sunt, fietque idem Colloquium.

Sciendum est, peccatorum, vitiiorumque notitiam, juvari per contrariorum actum, & habituum considerationem. Quapropter per gratiam divinam, & piam quamlibet Excitationem, laborandum est unicuique, ut virtutes sibi paret mortalibus peccatis septem oppositas.

Tertiò, Circa tres animæ Potentias idem loquitur progressus, per Additionem, Orationem, & Discussionem singularem, cum Colloquio ad finem faciendus.

Quartò, Circa quinque sensus corporis, nihil re mutata præter materiam. Ubi subnotandum est, quòd, si quis optet in sensum superiorum usu Christum imitari, debet in Oratione

præparatoria, seipsum super hoc DEO comen-
dare, factæque sensuum singulorum examina-
tioni Dominicam orationem subiicere: si verò
similem affectet Beatæ Virginis Mariæ imita-
tionem, ei se commendet, tanquam à Filio id
impetraturæ, & salutationem Angelicam, dum
sensus excutit, identidem recitet.

*Secundus orandi modus. Ex vo-
cum Orationis singularum perpensa signifi-
catione.*

Additio eadem, quæ superius, it prævia.

Oratio præparatoria Personæ congruet, ad
quam dirigitur.

Secundus orandi modus est: Ut flexis geni-
bus, vel sedendo (pro habitudine corporis, &
animi devotione) oculis vel clausis, vel defixis
in partem unam, neque huc & illuc motis, pre-
cationem Dominicam à principio recitemus:
& in prima voce, quæ est, *Pater*, meditationis
figamus pedem, quamdiu circa eam, variæ no-
bis significationes, similitudines, spirituales gu-
stus, & aliæ commotiones devotæ incident: &
ita deinceps per singula ejusdem, vel alterius
orationis verba, factitabimus.

Regula tres circa hæc servanda.

Prima; ut in tali precationis cujuslibet ru-
mi-

minatione, horæ spatium insumamus, quo completo, *Ave Maria, Credo, Anima Christi, & salve Regina*, semel, juxta communem morem, vel mente solâ, vel etiam voce percurrantur.

Secunda est; quòd si orantibus hoc modo nobis in una voce, vel duabus, meditatio affluat, & interna simul delectatio, postponenda erit transcurrendi cura, licet hora tota prætereat, qua elapsâ, reliquum orationis cursim recitetur.

Tertia: Ut quando ita contigerit, meditando voci uni, aut pauculis, horam impendisse, postridie recitato breviter eo, quod excussum fuit, ad sequentis verbi considerationem pergerimus. Post excussam verò ad hunc modum Dominicam Precationem totam, succedet saluatio Angelica, deinde alia, atque alia oratio: ut sine interruptione hæc orandi exercitatio procedat. Ad hæc: Oratione qualibet sic completâ perionam illam, ad quam pertinebat, paucis complabimus, virtutem aliquam, aut gratiam petentes, qua maxime indigere nos senserimus.

Tertius orandi modus. Per quamdam vocum & temporum commensurationem.

Additio ab utraque superiore nihil differt. Oratio preparatoria, fiet sicut in secundo modo.

Tertius

Tertius hic orandi modus in eo consistit: ut inter singulas respirandi vices, singula Dominicæ, alteriusve orationis verba transmittamus, expensâ interim, vel significatione prolata vocis, vel Personæ, ad quam Oratio spectat, dignitate, vel meâ ipsius vilitate, vel utriusque potestremò differentiâ. Eodem procedendum modo in verbis reliquis. Addendæ quoque Orationes supra memoratæ, *Ave, Credo, &c.*

Regula duæ huc spectantes.

Prior: ut finitâ juxta hunc orandi modum Precatione Dominicâ, sumatur aliis diebus Angelica salutatio: simili respirationum intervallo tractanda, cum aliis orationibus, usitato more recitandis.

Posterior: ut qui hunc orandi modum exercere cupit, diutiùs ad eum applicet precationes omnes supradictas, aut earum partes: & paria Anhelituum, ac vocum interstitia observet.

Atque hæc sunt, quæ legenda proposui ex libello S. Ignatii in hoc nostro octiduo, ad faciliùs obtinendum finem tum Exercitiorum, tum totius sacri nostri secessus.

IN.